

QR. 520, 27

40 B. M. T. 13

II a
636

F. F.

PRINCIPES HI- STORICOS,

(X1853703)

Id est

CAESARES, REGES, DUCES, &c.
qvi Historiae operam navarunt,

DISSERTATIONE HISTORICA

enumeratos,

PRAESIDE

M. JO. CASP. LOESCHERO,
Erfurteni,

Eruditorum disquisitioni sistet.

RESPONDENS

JACOBUS KAMITZERUS, Lubena-

Silesius, S.S. Theologiae Studiosus.

Ad d. Novembr. A.S.R. clb lccc.



VITENBERGAE,

Typis MARTINI SCHULZII, Acad. Typ.



S. D. G.

DE

PRINCIPIBUS, QUI HISTO-
RIAE OPERAM NA-
VARUNT
DISSERTATIO.

* * *

§. I.

UT varia semper rei literariae fortuna fuit, ita
haud pauci ejus laudes obscurare conati eam
Principibus attingendam esse haud utili consi-
lio disvaferunt. Ex quo factum est, ut sum-
mis per saepe Principibus magno fuerint odio, quod vel
ex *Valentiniani & Licinii Caesarum* exemplis constat, utpo-
te quos *Henr. Cornelius Agrippa de Vanitate Scientiarum p. 5.*
summos literarum hostes appellavit. Nec mirum pro-
fecto est, multis pessimum hoc consilium valde proba-
tum fuisse, quia eventus docuit, illos in ea fuisse senten-
tia, literarum studia militiam enervare, & a rei militaris
scientia plane aliena esse, cui tamen maxime summos
Principes studere oporteat. Quos veritati vim facere,
neminem prudentiorum praeterit, idemque post alios
fatis dilucide exposuit *Caspar Ensius. P. II. Thesauri Politici*
p. 8. seqq. Proclive enim esset exquisitis illud assertum
confirmare argumentis, si per instituti nostri rationem
liceret, maxime cum multos afferre possim Duces bel-
licos, inque his *Scipionem, Laelium, Xenophontem, Thucydidem,*
alios, qui & literarum studiis operam dederunt, & bel-
licis

licis expeditionibus magnum nomen consecuti sunt, adeoque cum *Timotheo*, quem *Cicero Lib. I. Officiorum* e a ratione commendat, ad belli laudem doctrinae & ingenii gloriam adjecerunt. Quo pertinet consuetudo Regum Spartanorum, olim, antequam cum hostibus concurrebant, Musis sacra facientium, si recte retulit *Theodorus Zwingerus in Theatro Vitae humanae pag. 2524.* Quid? quod nullo negotio evinci potest, literas ad rei militaris laudem multa conferre posse, quod ex rei militaris hodiernae ratione plus satis apparet.

§. II.

Quae vero literarum partes magnis Principibus praecipue conveniant, docti homines non una ratione sentiunt, quae de re cum fructu legi possunt, qui de Institutione Principum libros composuerunt, *Vincentius Bellovacensis, Ericus Puteanus, Sturmius, Claudius Espencaeus & Henricus Farnesius*, qui de antiqua Principum Institutione tres libros in lucem edidit. Non indignum notatu est, *Mariam* Reginam Scotiae, *Jacobi I.* magnae Britanniae Regis matrem, de Institutione Principis ligata oratione Gallicoque idiomate scripsisse, quem librum *Jacobus sancte* afferavit. Vid. *J.C. Becmannus. Part. II. Historiae orbis terrarum Geographicae & civilis cap. IV. p. 571.* Evolvi etiam de studiis Principum possunt, quae *Jacobus Wimpelingius, Michael Piccartus in Observationibus Historico-Politicis Dec. I. cap. 5. & Georgius Draudius in Fürstl. Tischreden* & alii tradiderunt, ut reliquos, qui de hoc argumento egerunt, praeteream missosque faciam. Plerique Matheseos, studium summo Principi convenire existimarunt, quod praeter *Rupertum in Not. ad L. VII. Valerii Maximi p. 499.* pluresque alios cumulate planum fecit *Samuel Reyherus in Mathesi Regia*, in cujus secundo capite Principes, quibus

bus mathematica studia in deliciis fuerunt, satis prolixè recensuit. Ut de aliis nihil dicam, multi eloquentiae studium e re magnorum Principum esse prudenter existimarunt; quippe quod Principibus eo magis conveniens esse videtur, quo majorem laudem atque existimationem eloquentes Principes sibi collegerunt. *Maximilianus I. Caesar*, cum eloquentiae laudibus abundaret, summam sibi gloriam comparavit. *Joannes Septemvir Brandenburgicus* eloquentia sua, qua maxime floruit, meritus est, ut *Germaniae Cicero* salutaretur, ut alia exempla, quorum haud pauca in promptu sunt, omittam. Sapienter illi etiam judicarunt, qui magnis Principibus auctores fuerunt, ut ad historias animum appellerent. Enimvero fidelissima haec rerum magistra infinita docet, quorum fructus ipsis constare potest, simul ac rerum potiti rempublicam gerere incipiunt. Unde nemini mirum videri debet, non paucos Principes historiarum studiis operari voluisse, ut ex sequentibus erit perspicuum. Venit hic in mentem non injucundae quaestionis: Num liceat Principibus operam multis libris faciendis navare? *J. C. Becmannus lib. cit.* dubitare videtur. Sed, si omnia recte circumspicimus, asseverare non dubito, eam rem Principibus non indignam fore, si in ea modum teneant, & quae prima ipsis esse debet, reipublicae curam non abjiciunt.

§. III.

Nunc ad caput rei progressus, merito a *Germania* ordior, quae, ut in omni literarum genere doctos viros vidit, ita eruditissimos in Principibus non caruit, qui cum in reliquis rei literariae partibus, tum in *Historia* multum laboris atque operae consumpserunt. Non dicam de **OTHONE II. Caesare**, quem non nemo historiis ani-

num excoluisse tradit, quod tamen in medio relinquo. Praedicanda potius est magnopere industria CAROLI IV, *Caesaris*, qui non solum varias lingvas calluit, verum etiam res a se gestas ipse scriptas reliquit. Vid. 70. Jac. Hofmannus in *Lexico universali* fol. 382. FRIDERICUM III, sive, ut aliis placet, IV, aut V. non minorem laudem affectum fuisse, vitamque suam & res a se gestas literis consignasse, alii perhibent. Nec reticendus est MAXIMILIANUS I. Caesar, qui, si vires & potentiam virtuti suae parem nactus fuisset, vix ullam reliquis suae aetatis Principibus laudem reliquisset. Qui ipsi ascribi solent, libri passim noti sunt, sed, ut quidam sentiunt, ab alio conscripti, quam controversiam meam non facio. Interea hoc exploratum est doctis, optimum Caesarem historiarum valde fuisse studiosum, quod nemo, nisi in his literis hospes, in dubium vocabit. Praeterea Genealogiam, quae Historico pernecessaria est, maximi putavit, & in magnorum Principum genealogias studiose inquisivit, quemadmodum *Cuspinianus* in literas retulit. Ad haec antiquitatibus, quae Historicis magno sunt ornamento, studuit, ut magnam pecuniae vim illis promiserit, qui Germanicam epistolam antiquitatis notis insignem peruestigarent. CAROLUS V. historiis valde delectabatur, maxime vero lectione *Philippi Cominaei*, egregii Historici, quem *Justus Lipsius* summis laudibus extulit. Post illum FERDINANDUS I. Caesar commemoratione dignissimus est, cui historias multum delectationis attulisse variis argumentis confirmari potest. De eo *Wagnerus* in *Institutionibus Histor.* p. 604. commemorat, quod *Sleidani* historia magno apud ipsum numero atque existimatione fuerit, ut ne in prandio quidem ab ejus lectione sibi temperaverit.

§.IV.

§. IV.

Ex sacro Principum ordine laudandus magnopere, erit BRUNO, *Archiepiscopus Coloniensis*, Henrici I. filius, Ottonis I. vero frater, pius juxta atque doctus Princeps, qui praeter alios sacri argumenti libros in historia etiam sacra sese exercuit, vitasque quorundam sanctorum propria industria scriptas edidit. Sedulo cavendum hic est, ne Princeps hic (facilis enim hic error est) confundatur cum alio scriptore *Brunone Coloniensi*, qui seculo XI. floruit, de quo *Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta p. 270. Philippus Labbe T. I. Dissert. de Script. Eccles. p. 209. seqq.* & haud pauci alii commode legi possunt. Huc pertinet HILDEBERTUS, *Archiepiscopus Moguntinus* & *Conradi Caesaris* frater, scriptor paucis notus, qui in sanctorum hominum vitis conscribendis elaboravit, de quo vid. *Vossius de Historicis Latinis Lib. II. p. 344.* Nihil addo de DITHMARO, celebri *Martisburgensium Episcopo*, *Sigfridi*, viri fortissimi, & magnae quondam autoritatis pariter ac potentiae apud *Saxones Comitis*, filius, de quo vid. *Hallervordius in Biblioth. curiosa p. 62.* Maximam denique laudem suis sibi scriptis collegit, OTTO, *Episcopus Frisingensis*, qui ex splendidissima *Austriae Principum familia* ortus quosdam *Caesares* etiam necessitudine attigit. Siquidem hic cum in *Philosophia*, tum in *Historia* summam sibi gloriam peperit, quod vel ejus *Chronicon* & *vita Friderici Caesaris*, deinceps a *Radevico* continuata, testatur. De hoc ut & prioribus tribus *pl. Rev. D. Fratris, Dissertatio de Scriptis Principum* potest evolvi, quibus addi possunt, quae *Possevinus, Tritthemius, Vossius, Simlerus* & similes de eo annotarunt. Ottonem hunc primum ex *Germaniae Episcopis*, aut certe inter primos *variarum rerum doctrina* & *Philosophia Aristotelis*

imbu-

imbutum fuisse, primumque hanc Philosophiam in Germaniam introduxisse *Radevicus* tradidit, teste *Kortbolto*, *Sec. XII. Historiae Ecclesiast. N. T. p. 489, 490.* Taceo CHRISTIANUM Archiepiscopum Moguntinum, WILLEBRANDUM Ultrajectinum, & ALBERTUM, Herbipolitanum Antistitem, de quibus jam allegata Dissertatio agit.

§. V.

Haecenus de Principibus Germanicis ex sacro ordine dictum, nunc reliqui etiam, qui restant, breviter erunt recensendi. Exordior ab HENRICO, *Thuringiae Landgravio*, Principe magni nominis & summae in Germania autoritatis, quem *Historiam Landgraviorum Thuringiae* literarum monumentis consignasse perhibent. LUDOVICUS Princeps Anhalt. *Societ. fructif. Autor*, Malvezzi Itali libros aliquos convertit, quibus varia etiam historici argumenti continentur. v. *Wittenius in Diar. Biogr. ad A. 1650.* Eum enim tum aliarum literarum, tum historiarum cupiditate flagrasse, ex aliis scriptoribus constat. Inter quos *Wendelinus* nos certiores reddit, eum multos Historicos aequae ac Politicos libros transtulisse. HERMANNUS, *Hassiae Landgravius*, Princeps celebris & varia doctrina praeditus, societatis fructiferae, ut vocari solet, membrum, edita *Historia meteorologica* Philosophiae naturalis historiam illustravit, qui liber *Uranophili Cyriandri*, hac enim ratione latere volebat, nomen a scriptum habet. vid. *Henning Wittenii Diarium Biographicum ad. A. 1658.* BOGISLAUS. X. Dux Pomeraniae rerum gestarum gloria magni nomen consecutus est, quam laudem non parum auxit, cum in Palaestinam concederet, & ut Christi sepulchrum intueretur propius, periculosum iter ingrederetur. *Vid. Jo. Micraeli Syntagma Histor. Lib. III. Sect.*

Sect. XII. p. 1120. Sunt, qui itinerarium ejus in Palaestina extare asseverant, quod si veritati consentaneum est, amorem ejus in Historica studia testari, & aliqua ratione confirmare posset. Praeter illos JOHANNES IV, Princeps Anhaltinus historias maxime coluit, ut apparet ex libello *scriptoris Anonymi de Principibus Anhaltinis. p. 160*, quem *Sagittarius* cum orbe literario communicavit. Primus locus attribuendus merito fuisset doctissimo scriptori, HERMANNO CONTRACTO, qui, licet ob corporis vitium contracti nomen adeptus sit, omnes suae aetatis Principes doctrinae gloria anteivit. Oriundus fuit a Comitibus Veringensibus, quae familia rerum gestarum gloria cum summis Principibus comparari potest. Cujus doctus *de sex mundi aetatibus* liber ita probatus est doctis, ut multi optime de eo existimarint. Eundem *Bertboldus Constantiensis* continuavit, sed, quemadmodum nonnullis videtur, non parem cum Hermanno laudem consecutus est. Plura de Hermanno Contracto leges, in *Mariani Scoti, Aventini, Vosii*, aliorumque, qui de eo aliquid memoriae proderunt, operibus. MATTHAEUS, Comes Pappenheimensis, si fides tradentibus habenda est, Juris utriusque Doctor fuit, & de origine suae familiae librum fecit. Quid? quod ex infirmiori etiam Principum sexu nonnullae historias magni aestimarunt, aut eis operam dederunt. Neminem enim fugit, ERDMUTH SOPHIA, Johannis Georgii. II. Saxoniae El. filia, & Christiani Ernesti, Marchionis Brandenb. lineae Culmbacensis Beruthinae, fortissimique Principis, conjux, quae librum Historici argumenti emisit passim notum. *vid. H. Wittenii Diarium Biograph. ad A. 1670.*

B

§. VI. De



De Germaniae Principibus haecenus satis actum, nunc brevitatis ulterius progredi, & de reliquis etiam commemorare jubet. Initium faciendum videtur a Britannia majori, quae magnis doctisque Principibus, maxime vero Anglia, fere semper abundavit, inter quos magnum nomen habuerunt *Inas* Saxonum Rex, *Cetwolfus*, *Etelwolfus*, *Alfredus*, *Ethelwardus*, *Aethelstanus*, *Henricus I*, *Henricus II*, *Jacobus I*, *Elisabetha*, & alii hujus generis, de quibus pluribus disseruere *Balaenus de Scriptoribus Britanniae*, *G. J. Vossius in Epistolis Ep. V. fol. 15, 16, 17, 18, 19, 20.* *Becmannus P. II. Histor. Geograph. & civilis p. 570, 571.* Ex Angliae autem Regibus **EDUARDUS VI**, historiarum studiis in modum fuit deditus, & praeter alios libros sui temporis historiam composuit. Seculi sui miraculum non immerito Regem illum appellaveris, quippe qui Latine, Gallice, Italice, Hispanice atque Graece, ut cum aliis *Vossius* refert, sciebat, & vix ullam laudem reliquis suae aetatis Principibus relicturus fuisset, nisi immature extinctus naturae debitum reddidisset. Ex quo liquet, *Hieronymum Cardanum*, summae eruditionis virum, qui *Eduardum* naturae miraculum nuncupavit, rectissime de eo existimasse. *Vid. Vossii Epistolae. fol. 18.* Nec inter Scotiae Reges defuerunt, qui historias in deliciis haberent, ex quibus *Vossius* **REUTHAE** mentionem facit, quem suae gentis historiam conscripsisse tradit *Vossius loc. cit.* Nec omittendus est **ACHAJUS**, Scotiae Rex, qui majorum suorum res gestas & historiam contexuit. Non addo omnes illos, qui historias aestimarunt, quia pagina non sufficeret, si omnes apud quos historia in honore fuit, Principes enumerare animo esset. Sufficiat igitur eos praecipue enarrasse, qui vel historias scri-

scripserunt, vel in amoenioribus hisce studiis sese valde exercuerunt.

§. VII.

Ex Galliae Regibus HENRICUS IV, Princeps incomparabilis historiarum studiis delectatus est, quod colligi facile potest ex ipsius, quem suscepit, labore. Enimvero *Casaubonus*, & praeter hunc alii, fidem fecerunt, eum, ut Julii Caesaris exemplum imitaretur, rerum suarum commentarios inchoasse, quos num absolverit, mihi non exploratum est. vid. *Augusti Buchneri Not. ad Agricola Taciti p. 90.* Neminem latet, quid *Dux Robinaeus* in Historia, & ad eam pertinentibus, praestiterit, cum maxime ea, quae ipsius industriae debemus, multis non displicuisse constet. His jungi merito debet HENRICUS DE LATOUR, *Dux Bullionaenus*, cujus res gestae, sive, ut ipsi eas appellare placuit, Memoriae. A. C. 1666. in lucem exierunt. Librum hunc ea intentione fecit, ut filium optimis praeceptis, quae consuetudo quorundam Principum fuit, imbueret, non ignorans exempla domestica, praecipue Parentum, haud raro maximi apud filios esse ponderis. Quem librum doctissimus *Ephemeridum Gallic. Autor T. II. Ephem. n. XXXV. p. 405.* magno opere commendat, atque res singulari fortitudine prudentiaque non vulgari ab hoc Duce & ab aliis gestas in eo contineri asseverat.

§. IIX.

Si in Italiam contendimus, praeter *veteres Principes Aeneas Sylvius*, sive, quod sibi nomen imposuit, PIUS II. Pontifex Romanus, in laudis Historicae partem venit, qui antequam ad altissimum hunc dignitatis gradum ascenderet, multa scripsit, quae maximam laudem merentur. Nam, ut alia ejus scripta enumerare superse-

B 2 deam,

deam, ad historiam sequentes ipsius libri spectant: *Comment. de gestis Concilii Basileensis, Cosmographia, Europa, de Ortu Regione & rebus gestis Bohemorum &c.* Fertur etiam confecisse *Dial. de falsa Donatione Constantini, de Rebus a se gestis &c.* v. *Phil. Labbaei Diff. de Script. Eccles. T. II. p. 225. seqq.* Opera ipsius edita sunt Basileae 1571. *Historiam Austriacam* MSC. in Bibliotheca Vindobonensi asservari, ejusque editionem a *Petro Lambecio* promissam fuisse, *Hallervordius in Bibl. cur. p. 3.* persuadere conatur. Postquam Pontifex creatus erat edita *Bulla* eis contraxit, quae pro Autoritate Conciliorum, nec non contra *Eugenium Papam* commentatus fuerat. *vid. Kortholtus in Histor. Eccles. N. T. Sec. XV. p. 678.* Tantis autem honoribus auctus historiis operari non intermisit, & totam *Asiam* describere voluit, quod tamen opus non perfecit, prout autor est *Jo. Philippus Bergomas*, qui multa alia notata non indigna de eo tradidit. *Platina*, scriptor egregius, docet, eum libros XII rerum suo tempore in Italia gestarum composuisse, sed, cum eis nondum perfectis extremum spiritum editurus esset, interdixisse, ne ederentur, nisi prius fuerint emendati. *Vossius Lib. II. de Histor. Latin. p. 593.* Si prisci temporis memoriam repetimus, apparebit, multos *Caesares* historiis scribendis operam navasse. Quippe praeter *JULIUM CAESAREM*, elegantissimum Scriptorem (de quo multa dici possent, si brevitati non esset studendum) *OCTAVIANUS AUGUSTUS* de Vita sua Lib. XIII, contexit. *Svetonius in eius vita p. 140. Edit. Boxhorn.* Imitabatur Augustum *TIBERIUS*, qui de vita sua etiam aliquid meditatus est. *Svetonius in Vita Tiberii p. 208. ejusd. Ed.* *CLAUDIUM* Caesarem ad historias scribendas animum appulisse idem *Svetonius p. 315. retulit.* *ADRIANUS*, Princeps doctissimus, de sua Vita ali-

aliquem librum memoriae prodidit, quem liberto, vulgandum commisit. *Vid. Spartianus in Vita Adriani p. 72. Ed. Screevel.* Fertur, hunc librum Phlegontis nomine editum fuisse, cujus tamen mentionem Svidam, qui Phlegontis opera recensuerit, non fecisse *Claudius Salmasius in Notis* observavit; quod ea de causa factum existimat, quia Adrianum ejus libri autorem esse omnibus apertum atque perspicuum fuerit. ANTONINUM Caesarem de Vita sua scripsisse Svidas docet, quem librum cum alio, τὰ ναυτ' ἐαυτὸν dicto, eundem esse Xylander arbitratus est. *Vossius de Hist. Gr. p. 226.*

§. IX.

Restat adhuc Dania, in qua floruit ERICUS X, sive ut aliis videtur, VII. Daniae Rex, qui egregiam Historiam de Origine gentis Danorum, deque Regibus ejusdem gentis, & eorundem rebus gestis scriptam, reliquit, teste *Vossio* aliisque. *Vid. Dissert. de Scriptis Principū*, cuius aliquoties mentio facta est, *Pontanus & Hoffmannus in Lexico universali fol. 609* Ericū hunc IX hujus nominis fuisse, *Micraelius in Syntagm. Histor. Mundi L. III. s. v. p. 766.* perhibet. In Svecia CAROLUS IX. Rex Chronicon Regum Sveciae usque ad sua tempora scribere aggressus est, *vid. Wittenius in Diar. Biogr. ad. A. 1611.* Si ex Polonia aliquis proferendus esset, posset in medium adduci *Johannes ZAMOSCIUS*, Princeps Polonus, qui in Libro de Senatu Romano, si ejus autor est, multa attulit, quae ad historiam illustrandum facere poterant. An liber hic ipsi merito ascribatur, meum non est decernere, maxime cum sint, qui non solum *Carolo Sigonio* eum acceptum referant, sed etiam asseverent, Sigonium librum hunc in honorem Zamoscii,

in scripto ejus nomine edidisse, suumque adeo nomen
de industria dissimulasse.

§. X.

Non diffiteor, plura adhuc exempla magnorum
Principum, qui historiarum studiis operati sunt,
aut quibus ea in deliciis fuerunt, colligi posse, ni-
hilo secius tamen tot exempla sufficere jam possunt,
cum reliqua facile alia occasione adjungi, adeoque
omnia, quae ad hoc argumentum pertinent, copiosius
exponi queant. Possunt etiam huc illi Principes com-
mode referri, qui historias astricto sermone scripse-
runt. Sic post alios EUDOCIA, Theodosii Caesaris
conjux de bello Persico carmen aliquod fecit, ut ex
Socrate Kortholtus l. c. p. 179. retulit. CAROLUS IX. Sve-
ciae Rex res a se gestas versibus Svecicis scriptas re-
liquit. Vid. *Wittenius, l. c. & Morhoffius de Lingua & Poësi
German. C. IIX. p. 409.* Taceo *Annam Comnenam* & alias foe-
minas, ne dissertatio nimium excrescat, reservaturus
simul reliquos Poëtas Historicos peculiari Dissert-
tationi de Poëtis Principibus.

§. XI.

Addi quaedam possunt de *Principum Diariis*, quorum
pleraque in scriptorum Historici argumenti numero
esse possunt, maxime vero illa, in quibus bella a Princi-
pibus gesta, & quid fere quovis die egerint, aut contra
hostes moliti sint, enarratur. In hoc Principum ordine
merito locum tenet *Julius Caesar*, felicissimus juxta atque
prudentissimus Imperator, cujus commentarios olim
ab ipso *Cicerone*, & ab *Hirtio* valde probatos, multi laudi-
bus ad astra tulerunt, nisi quod *Asinius Pollio* laudem il-
lis detrahere ausus, & industriam accuratam, & ipsam
denique fidem in hoc opere desideraverit. *v. Sveton.
in Vita Caesaris p. 44. Edit. cit.* De Henrico IV. Galliae
Rege


Rege jam dictum fuit, eum rerum bellicarum a se-
a arum commentarios inchoasse. Observandum hic
erit, *Diaria Principum non una ratione fuisse comparata, sed*
magnam potius esse eorum varietatem. Singularis
est liber *Maximiliani I. Caesaris*, in quem Gallorum in-
jurias & iniqve facta referre solebat, narrante *Faberto*
in *Historia Ducum Burgundiae A. 1687.* edita. Nemi-
nem praeterit *Breviarium Augusti*, in quo scriptum
erat, ut verbis *Svetonii* utar, *quantum militum sub signis u-*
bique esset, quantum pecuniae in aerario, & fisci, & vectigali-
orum residuis. Adjecit & libertorum servorumque nomina,
a quibus ratio exigi posset. Svetonius in Vita Augusti p. 159.
De *Amurathe*, *Turcarum tyranno*, *Lazarus Superantius*
observat, *eum habuisse memorias scriptas omnium imperii ne-*
gotiorum, tributorum ac vectigalium, onerum, regnorum, virium,
quas mensae ad id destinatae impositas perpetuo volutabat,
quae sunt verba summi Politici, *Christophori Forstneri in*
Notis ad L. I. Annal. Taciti p. 50. Cujusmodi exempla
facile cumulari possent, si instituti nostri ratio per-
mitteret. Alii sunt *libri tyrannorum fatales*, (quod ipsis no-
men nonnulli imponunt,) in quibus tyranni sive Prin-
cipes crudeliter se gerentes eos notabant, quos inter-
ficere constituerant, cujus moris *Tiberium* autorem
esse *Boecler9* existimavit. Talis erat liber a *Mnesteo* con-
fictus, de quo *Flavius Vopiscus in Vita Aureliani p. 874.* hunc
in modum differit: *Mnesteus qui sciret, Aurelianum neque*
frustra minari solere, neque, si minaretur, ignoscere, breve
nominum conscripsit, mixtis iis, quibus Aurelianus vere ira-
scebatur, cum iis, de quibus nihil asperum cogitabat, addito
etiam suo nomine, quo magis fidem faceret ingestae sollicitudi-
nis: ac breve legit singulis, quorum nomina continebat, ad-
dens, disposuisse Aurelianum eos omnes occidere: Illos vero
debere

QX 71a 636

debere suae vitae, si viri essent, subvenire &c. De reliquis, quae ad praesens argumentum pertinent, non ero multus, eo quod alia occasione commodior erit de eis differendi locus.

§. XII.

Mitto *fabulas*, quas *Romanenses* communiter vocant, nonnunquam a Principibus scriptas v. g. *Aramenam* & *Octaviam*, siquidem haec quidem scripta laude sua non privanda sunt, in historiarum tamen numero non possunt haberi. Ex his itaque efficitur, in bonam partem accipiendum & laudi Principibus dandum esse, si studium in artibus & historia cognoscenda ponunt. Quippe ex ea re ad ipsos Principes emolumentum venit, & ad subjectorum etiam fructum ea laus redundat. Quod *Gvilielmus Croyus*, fortissimus heros, non ignorabat, qui hoc sibi negotium datum esse credidit, ut *Carolum V*, postea *Caesarem* & *Hispaniae Regem*, cuius juventuti praeerat, ad pleniorum historiarum cognitionem invitaret; unde, cum reliqua Praeceptorum industriae committeret, solam historiam sibi reservavit, ut in ea Principis sui animum singulari industria excoleret. Vid. *Varillasius in Historia Gvilielmi Croyi*. Potentissimus *Gallicae Rex* cognitum illud perspectumque habuit, eaque de causa in institutione *Delphini*, historiae etiam rationem haberi voluit, quod testantur *Historici veteres C. I. Caesar, Corn. Tacitus & Suetonius a Jo. Godwino, Pichonio, & Augustino Babilonio* in usum *Delphini* editi. Quae addi possunt, silentio praetermitto, & cum pagina non omnia capiat, finem differendi facio, Divinoque Numini gratias humillima mente persolvo.



1072

117



Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, including words like "LUBERA", "CHERO", "DIS", "M TO", and "JACO".



Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, including words like "LUBERA", "CHERO", "DIS", "M TO", and "JACO".

